



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Triapostolatus Septemtrionis

Caesar, Philipp

Coloniæ Agrippinæ, 1642

8. Quomodo de durante persecutione Romam profectus sit & in Fresiam redierit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43650**

nato Leri, Benjamin autem in Cibhri-  
stri, Atrebanum verò Clericum in Thiat-  
maresgaho, Gerwalum quoque cum so-  
cijs suis in Brema, odio nominis Christiani  
gladio peremerunt. Et ipsis quidem ita ad  
regna cœlestia effusione proprij sanguinis  
feliciter euocatis; persecutionis tamen  
procella diutius postmodum rebellantibus  
desæuit Saxonibus.

## CAP. VIII.

*Quomodo durante persecutione Romam profectus  
sit, & in Fresiam redierit.*

**Q**uo facto vir Dei cognoscens nullam  
sibi tunc temporis prædicandi opor-  
tunitatem inesse, arrepto itinere Pippi-  
num Langobardorum Regem adiit; sicque  
prospero cursu Romam peruenit: vbi  
consistens multis lacrymis & precibus ad  
Sedem sacratissimam Beati Petri Aposto-  
lorum principis, se cunctamque fidelium  
turmam sedulus ac deuotus diuinæ com-  
mendabat clementiæ; illos præcipuè quo-  
rum cura maximè cordi erat, ne forsan su-  
scepta in partibus Saxoniae Christianitas  
machinatione diabolica tunc penitus an-  
nullaretur. Inde autem discedens & con-  
solatione Venerabilis Papæ Adriani non  
modicè corroboratus, Seruus Dei gaudens  
repedabat in Franciam. Quo itinere con-  
tigit, diuinam in eo etiam operatam fuisse  
virtutem. Namque minister viri Dei voca-  
bulo



*Miraculū  
ab eo factū*

bulo Aldo, qui alimenta procurabat Magistri, quandam habebat patenam ligneam, quæ vulgò scutella vocatur, quam iugiter mundam ac nitidam ad mensam ipsius coram eo ponere solitus erat. Quam præfatus minister quodam die casu fractam repperit. Tempore itaque refectiois cum eam vir Dei requireret, minister negligentiam quæ contigerat nequaquam ei celare voluit; sed hanc fractam fuisse narrauit: quam ille ad se qualis erat statim deferri præcepit. Sed minister ad locum vbi iacebat, rediens, quam antea fractam reliquerat, ac si nihil vnquam detrimenti habuerit integram repperit. Quam allatam coram ipso lætus ac hilaris posuit, qui antea tremebundus & pauens, iram iustæ correptionis pertinuit. Quod ob gratiam Sancti viri cœlitus factum non dubitatur: quamuis ipse elationem fugiens magis in abscondito, quàm publicè id fieri cupiuerit. Igitur ab itinere concepto reuersus, transiit ad locum qui dicitur Aternacha, ibiq; Discipuli eius qui propter metum persecutionis passim dispersi fuerant, ad eum sunt denuò copulati. Quos ille benignâ consolatione refocillans, vt pro fide Christi constanter in omnibus se agerent, piè ammonere studuit. Quique in eodem loco duobus ferè annis demoratus elegit solitariam in clausus ducere vitam: vbi etiam non mediocriter viuens



uiuens, cum lectioni atque orationi operam daret, tum præcipue scriptioni interdum deditus erat. Namque scripsit ibi Epistolas Beati Pauli in vno volumine, aliaque quamplurima, quæ à successoribus ipsius ob monumentum sanctæ recordationis eius seruata, hætenus manent inconuulsa. Multi quoque in eodem loco exemplis eius & monitis ad meliorem sunt vitam correcti, & ad seruitium Domini non ignauiter accensi.

## CAP. IX.

*Ordinatio Sancti VVillehadi, in  
Episcopum.*

**P**ost hæc autem iterum venerandus Domini Sacerdos Regem adiit Karolum, qui tunc forte in castello confederat Saxonie Eresbur, proponens voluntatis suæ deuotissimam in præparatione Euangelij pacis affectionem: atque ipsius in hoc æquissimam requirens præceptionem. Qui pro consolatione laboris ac præsidio subsequentium eius, dedit ei in beneficium quædam Cellam in Francia, quæ appellatur Iustina: præcepitque ei vt iterum pro nomine Christi cœptam repeteret Parochiam. Quod ille gratanter ac religiosè suscipiens, rursus venit VVigmodiam, & fidem Domini publicè ac strenuè Gentibus prædicabat. Ecclesias quoque destructas restaura-

*Datum est  
Cella in  
Francia.*